

Vive precor, longumq; tuis constare memento,
Publica quo melius res superesse queat.
Auguror, excessu te patria dilabetur,
Nec nobis etiam nota, nec ipsa sibi.
Sed taceo laudum, si te non ullus adolor,
Libertasq; animum vindicat una meum,
Hoc fateor tantum: Patriæ Namslerus amore
Cunētis plus, solus quam sibi quisq; facit.

MARTINO NVSSLERO
Theologo incomparabili.

Nüßlere in cuius summas facundia laudes
Cessit, & ingentis verba tremenda Dei,
Qualia credibile est, sancto livore furentem,
Ad Grajas Paulum saepe dedisse fores,
Cum mendax tellus, scelerum vexata ruinis,
Nesciret verae religionis opus,
Sanctaq; canities, nec cuivis pervia virtus,
Non effusa jocis, nec rigida illa tamen,
Sed majestatis blando suffusa sereno,
Dulciaq; arridens pectoris altus honor,
Lambere laurigeros quid me mirare corymbos,
Et Fama, strenua nomine, vela sequi?
Non memini Nymphas me sollicitasse pudicas:
Propter te id cessit turba novena mihi.

A iiij

GEOR.